

H 1856

1.

Q. D. B. V.

SENATVS
CIVITATIS HALLENSIS
RECTOREM
ATQVE
CONRECTOREM
GYMNASII

D. XXX. APRILIS HORA MATVTINA IX,
RITE INAUGVRANDOS

INDICIT

INTERPRETE

GEORGIO DAVIDE THEBESIO
CIVITATIS SYNDICO ET GYMNASII SCHOLARCHA.



HALAE MAGDEBURGICAE,
LITTERIS GRVNERIANIS. MDCCLXVII.





curia
di stu
opera
ctuof
ipse i
cioru
stant
phia
ueni

omni
cepi
cero
hoc
recti

a)





uae nobis TVLLIVS elegantissimi ingenii sui monumenta reliquit, inter ea maxime libellus iste referendus est, quem de Officiis ad Marcum filium eo tempore Athenis studiorum causa degentem scripsit. Quum enim valde exulceratis Reipublicae temporibus, extincto fenatu, delectis iudiciis, a forensibus prohibitus negotiis, nihil se dignum aut in curia aut in foro agere posset Cicero, adeoque negotii inopia, non requiescendi studio otium persequeretur, totus se ad philosophiae studium scribendique operam retulit. Quamvis autem totam philosophiam frugiferam atque fructuosam esse velit, vberiore tamen in ea locum de officiis sibi sumsit, quum ipse iam proeuctioris aetatis esset, et in publicarum rerum calamitate hac officiorum cogitatione animum quasi leuare, filium autem, vnde praecepta constanter honesteque viuendi ducuntur, docere veller, adeoque hunc philosophiae locum, quem primus latinis litteris illustrauit, et sibi et filio maxime conuenire crederet.

Vti vero Roma nullum fere litterarum lumen habuit, nisi ex Graecia omni eruditionis genere redundante, vbi inprimis Stoici philosophi in praeceptis morum addiscendis atque tradendis operam suam collocarunt; sic et Cicero, philosophia ex Graecis et litteris et doctoribus percepta, in tractando hoc de officiis argumento, PANAETIVM ex Zenonis familia philosophum correctione quadam adhibita se potissimum esse sequutum, fatetur. ^{a)} Animus iam

)(2

a) D. Offic. L 3, c. 2.



iam est, quis fuerit ille Panaetius, quem ad imitandum sibi proposuit Cicero et passim alias hominem ingenuum et grauem fuisse, testatur ^{b)}, paulo curatius inquirere, vitamque eius ex ipsius Ciceronis scriptis, quoad eius pro sine huius descriptionis fieri potest, delineare; quum quod valde mirum, DIOGENES LAERTIUS, qui ex professo vitas veterum philosophorum exposuit, PANAETII vix binis verbis mentionem fecerit, nec multo plura STANLEIUS ^{c)} de eo enarrauerit.

Patria autem nostro fuit PANAETIO RHODVS, vbi, vti nonnulli autumant, Olympiade CLII. natus est. Haec inter veteres clarissima insula et multos tulit viros ingenii praestantia excellentes et artium liberalium in primis eloquentiae et philosophiae studiis floruit, nec minus nostra ei debet iurisprudentia *nauticas illas leges* ad Romanos perlatas atque nostram vsque aetatem iure Iustiniano seruatas. Noster ille ab seniore eiusdem nominis distinguendus patrem habuit NICAGORAM et maiores bellicis rebus claros, ipse vero philosophorum castra sequutus magistro vsus est ANTIPATRO TARSENSI, quem et in ordine successione stoicae excepit. Non tamen Stoeae placitis ita adhaesit, vt ab iis nulla in re recedendum esse crederet, sed humane magis et naturae animi conuenientius eum esse philosophatum, GELLIUS ^{d)} testis est, qui eum *ἀνὰ νόστον* et *ἀπὸ θεῶν* Stoicorum improbasse refert.

Incidit autem PANAETII nostri aetas in ea Reipublicae Romanae tempora, quibus summi Romanorum Imperatores, Graecia subiugata, eruditionis Graecae pulchritudinem pernoscences magnum conceperunt amorem et in philosophiam, omnesque tum temporis in Graecia florentes litteras, et in viros, qui summa nominis fama easdem docebant. Factum eo est, vt et noster in amicitiam SCIPIONIS veniret, qui, teste VELLEIO PATERCVLO ^{e)}, hunc et POLYBIUM, praecellentes ingenio viros, domi militiaeque secum habuit; quod etiam CICERO ^{f)} testatur, qui PANAETIUM dignum illa familiaritate SCIPIONIS et LAELII iudicat, praeter quos et alios viros magnae existimationis habuit discipulos, ex quorum numero clarissimi ICTI Q. TYBERO et Q. MYCIVS SCAEVOLA notandi sunt. Ea nimirum magna PANAETII laus est, vt praecipuus fuerit philosophus, per quem philosophia Romam perlata suum inter Romanos extulit caput et ad dignitatem fuit euecta; namque vti ipse CICERO ^{g)} fatetur, scientiis reliquis sensim emergentibus ex contemptu, quo Romae delituerant, vna tamen philosophia iacuit vsque ad Ciceronis

b) *D. Fin. L. 4. c. 9.*

c) *Hist. Philosop. P. 7. c. 5.*

d) *Noct. Attic. L. 12. c. 5.*

e) *L. I. c. 3.*

f) *D. Fin. loc. cit.*

g) *Tusc. Quaest. L. I. c. 3.*



ceronis aetatem, nec vllum habuit lumen litterarum latinarum. Veteres enim Romani auitae disciplinae innutriti, quae militarem austeritatem et et virtutem vnice sectabatur, veriti sunt, ne studio suo ad philosophiam adiuncto adolescentes inde potius, quam agendis rebus et militia decus sibi quaerere intenderent. Quae ratio M. PORCIUM CATONEM mouit, vt omni opera curaret, philosophi vti Romae ne essent atque eius studii procul dubio tribuendum Sctum illud famigeratissimum C. FANNIO STRABONE, M. VALENTIO MESSALA COSS. de exigendis vrbe Roma philosophis factum, quod a h) GELLIO nobis seruatum est. Non exiguus igitur honos nostro inde est PANAETIO, quod primus extorrem reduxit Romam philosophiam, quum ipsi contingeret, magnis viris familiariter vti; qui rebus summis pace belloque gerendis occupati, philosophos agere non quidem constituerant, sed philosophiae tamen amore ducti, eius praecepta a philosophis percipere non dedignabantur. Et quum, vt supra iam monuimus, PANAETIVS Stoicae sectae, limato licet iudicio, adhaeserit; nam et alios philosophos ARISTOTELEM, XENOCRATEM, THEOPHRASTVM, DICAERARCHVM semper in ore habuit i), PLATONISque magnus fuit admirator: facile tamen ratio inde patet, cur Stoicae philosophiae studium tantos inter Romanos progressus fecerit, summosque viros habuerit asseclas. Scilicet viri isti doctrina praeceptoris sui imbuti, quum ad rempublicam vel gubernandam vel iurisperitia moderandam accederent, iisdem insisterunt principiis atque illa in vita et negotiis publicis sequuti sunt. Accessit et alia ratio, quae potissimum iuris antistitibus valde arrisit.

Stoici enim illam philosophiae partem, quae mores hominum format, gnauiter sunt persequuti et derelictam a reliquis philosophis doctrinam de officiis maxime illustrarunt, cui philosophiae practicae parti PANAETIVM strenuam nauasse operam testis est liber, quem de officiis conscripsit et passim veterum testimonia loquuntur. Huius vero doctrinae fundamentis totum Iurisprudentiae Romanae systema Icti superstruxerunt, quum Stoicam philosophiam ducendae auctoritate virtutisque opinione plebi non parum inferuire animaduertent.

Non vero Romae solum PANAETII nostri nomen inclaruit, sed etiam in vrbe patria Rhodi et Athenis in Stoa docuit atque more istorum temporum peregrinando aliorum philosophorum doctrinas hausit et eruditionis praesidia sibi adquisiuit. Quam ob rem a CICERONE k) inter illos nobilissimos philosophos

) 3

h) Noct. Att. L. 15. c. n.
i) Cic. D. Fin. L. 4. c. 28. in fine.

k) Tusc. Quaest. L. 3. c. 37.





fophos refertur, qui aetates suas in perpetua peregrinatione consumserunt; atque ideo mirum non est, illum,

Qui mores hominum multorum vidit et vrbes,
naturae atque indoli humanae intimius cognitae conuenientius esse philosophatum et de officiis, teste CICERONE ^{l)}, accuratissime disputasse; inprimis quum ipse laudem non solum viri docti, sed et probi, ingenui et grauis adeptus doctrinae suae praecepta sui ipsius exemplo expresserit.

Qua ratione autem graue hoc de officiis argumentum tractauerit et quod, adhibita diuisione tripartita, omnia officiorum genera complexus fuerit, CICERO ^{m)}, qui eum imitatus est, memoriae prodidit; quae tamen omnia hic repetere, nec vacat nec instituti nostri est. Illud vero non praetereundum censemus, quod secundum CICERONEM ⁿ⁾ PANAETIVS e diuisione tripartita duas tantum partes tribus libris absoluerit, tertiam autem, de qua in extremo libro tertio pollicitus fuerit, se esse dicturum, plane praetermiserit. In cuius rei testimonium CICERO POSIDONIVM adducit, qui scribit in quadam epistola, P. RVTILIVM RVFVM dicere solere, qui PANAETIVM audierat, *ut nemo pictor esset inuentus, qui Coae Veneris eam partem, quam Apeiles inchoatam reliquisset, absolueret; oris enim pulebriiudo reliqui corporis imitandi spem auferbat: sic ea, quae Panaetius praetermisset et non perfecisset propter eorum, quae perfecisset, praestantiam, neminem esse persequutum.* Quantum huius viri elogium, quantumque testimonium, PANAETIVM eleganter aeque ac solide, suum tractasse argumentum!

Praeter hos tres modo memoratos de officiis libros et alios PANAETIVS scripsisse fertur, meminitque CICERO in epistola ad Atticum ^{o)} libri *περὶ πρῶτου*, quem ab Attico sibi mittendum rogat. Idemque CICERO alibi ^{p)} mentionem facit epistolae a PANAETIO ad Q. TVBERONEM scriptae, qua APPII CAECI carmen valde laudat. Quae vero scripta omnia temporum iniuria ad nos non peruenerunt.

Potissimum autem PANAETIO nostro accuratiorem de *providentia* haec fuisse sententiam, quam inprimis contra Epicuracos defendisse fertur, vel exinde manifestum est, quod vnus e Stoicis fuerit, qui Astrologorum praedicta reiecit ^{q)}; quum Stoici alias astrologiae, diuinationibus, vaticiniis et auguriis multum tribuerent, eaque fere omnia defenderent et ipse ZENON huius disciplinae

l) D. Offic. L. 3. c. 2.

m) D. Offic. L. 3. c. 2.

n) Loc. cit.

o) L. 13. ep. 8.

p) Tusc. Quaest. L. 4. c. 2.

q) Cic. D. Diuin. L. 2. c. 47.

plinae quasi femina quaedam sparsisset. Addit tamen CICERO ^{r)}) PANAETIVM non ausum negare vim esse diuinandi, sed dubitare se dixisse.

Quod et in aliis rebus a scholae suae decretis PANAETIVS discessum fecerit, ex loco Ciceronis ^{s)}) patet, vbi eum de sententia Stoicorum addubitantem hisce verbis in medium producit:

Sunt autem stellae natura flammae, quocirca terrae, maris, aquarum vaporibus aluntur iis, qui a sole ex agris topefactis et ex aquis excitantur; quibus altae, renouataeque stellae atque omnis aether, refundunt eadem et rursus trahunt indidem, nihil ut fore intereat, aut admodum paululum, quod astrorum ignis et aetheris flamma consumat. Ex quo euenturum nostri putant id, de quo Panaetium addubitare dicebant, ut ad extremum omnis mundus ignesceret, quum, humore consumto, neque terra aliposset, neque remoueret aër; cuius ortus, aqua omni exhausta, esse non posset; ita relinqui nihil praeter ignem, a quo rursus animante, ac deo renouatio mundi fieret atque idem ornatus oriretur.

Quae, qualiacunque etiam sint, id tamen satis demonstrant, non in ethicis solum, sed et in physicis rerum causis indagandis PANAETIVM nostrum ingenio multum valuisse.

At enim vero vnum forte est, in quo PANAETIVS reprehensione non careat, si aliter reprehendendus, qui in tam difficili de anima hominis argumento errauerit, quod omni tempore maxima philosophorum ingenia exercuit. Nimirum, quum PANAETIVS alias PLATONEM magni fecerit, eius tamen de immortalitate animae sententiam improbavit, hac duplici vsus ratione: primo quicquid nascitur, id etiam interit; deinde quod aegrum esse potest et in morbum cadere, id etiam interire potest. Audiamus CICERONEM, qui PANAETIVM hac de re ita discernisse refert ^{t)}):

Credamus igitur Panaetio a Platone suo dissentienti, quem enim omnibus locis diuinum, quem sapientissimum, quem sanctissimum, quem Homerum philosophorum appellat, huius hanc vnam sententiam de immortalitate animorum non probat; vult enim, quod nemo negat, quicquid natum sit, interire; nasci autem animos, quod declarat eorum similitudo, qui procreantur, quae etiam in ingenis, non solum in corporibus appareat. Alteram autem asserti rationem: nihil esse, quod doleat, quin id aegrum esse quoque possit, quod autem in morbum cadat, id etiam interiturum; dolere autem animos, ergo etiam interire.

Sed ignoscedum est nostro ea in re hallucianti, de qua et alii magnae auctoritatis viri et melioribus iustruendi praesidiis perobscure atque erronee philosophati sunt; nam et quandoque bonus dormitat Homerus, neque, vti eruditissimus

r) D. Diuin. L. I. c. 3.

s) D. Nat. Deor. L. 2. c. 46.

t) Tusc. Quaest. L. I. c. 32.



simus BRUGGERVS recte monet ^v), ad nostrorum temporum habitum et sapientiae inter nos cultae ideam vetus philosophia exigenda est.

Diem suum supremum PANAETIVS, ut ferunt, Olympiade CLXX^o procul dubio senex obiit, quam triginta annis, postquam libros de officiis edidisset, adhuc vixerit ^x) et scholae suae successores Athenis in porticu habuit MNESARCHVM, Rhodi autem POSIDONIVM. Sed haec haecenus.

Iam ad illud deveniendum est, cuius causa haec instituta est disputatio. Scilicet Viro plurimum Reuerendo D. IOANNE PETRO MILLERO de schola nostra, cui regendae XII. annos summa cum laude et nominis fama praefuit, optime merito Goettingam ad munus Professoris Theologiae ordinarii obendum hinc euocato, ephori Gymnasii sollicitam susceperunt curam, ut qui dignus haec Rectoris sparta sit, in illam succederet.


Collatis igitur consiliis VIRVM CLARISSIMVM atque DOCTISSIMVM IOANNEM GODOFREDVM TAVSTIVM, qui Conrektoris munere hucusque functus iam per octo, et quod excurrit, iustra, fidelissimam in erudienda inuentute Gymnasio praestitit operam, vnanimi suffragio Rectorem elegerunt; vacantem autem Conrektoris prouinciam VIRO ingenii ac probitatis laude FLORENTISSIMO CHRISTIANO DAVIDI IANI, qui per aliquot annos in Paedagogio Regio Glauchensi Praeceptor industrius fuit, rursus detulerunt. Vierque praeuia SCHOLARCHARVM praesentatione a SENATV HVIVS CIVITATIS AMPLISSIMO, PATRONO quippe GYMNASII rite vocatus et a SUPREMO RERVM ECCLESIASTICARVM DVCATVS MAGDEBVRGICI SENATV confirmatus est.

Caeterum ut hi viri more maiorum inaugurentur, in actu solemnium, cui AMPLISSIMVS SENATVS diem crastinum praefixit, Ciuitatis Syndicus et Gymnasii Scholarcha orationem habebit *de prudentia praeceptorum in regenda atque erudienda inuentute scholastica*; nouus autem Rector *de fati latinitatis sacrae verba faciet, et Conrektor humaniores litteras quam et colere utile sit omni eruditioni et perniciosum negligere e scholasticae philosophiae conversionibus illustret*. Quibus solemnibus ut Ciuitatis nostrae PROCERES et scholarum FAVTORES suo quouis ordine honorifice compellandi beneuole interesse velint, obnixae atque perofficiose rogamus.

n) *Diff. praec. Hist. phil. §. 15*

x) *Cic. D. Offic. L. 3, c. 2.*

P. P. Halae Magdeb. a. d. XXIX. April. MDCCCLXXVII.



VO 18



1.

H 1856

Q. D. B. V.

SENATVS
 CIVITATIS HALLENSIS
 RECTOREM
 ATQVE
 CONRECTOREM



I
 TVTINA IX.
 DOS

HEBESIO
 SCHOLARCHA.



AE,
 DCCLXVII

